VIII.30. 13.b

CALUMNIA

PUBLICE IMPACTA

P. GERARDO BOLCK

AMPLISSIMORUM VIRORUM

QUI PRO EA CITABANTUR

TESTIMONIIS REVICTA.

FACTUM.

D. Ladderſous Philoſophiæ in Pædagogio Porcenſi Profeſſor Lovanii 17. Junii 1692. in Diſputatione Theologica, quam Patres Societatis JESU inſtituerant publicam in ſuo Collegio, coram frequenti Doctiſſimorum Virorum conſeſſu clarâ voce ſæpius dixit, atque etiam poſt datum & acceptatum tempus deliberationis iteratò repetiit, P. Gerardum Bolck ejuſdem Societatis, à quo ne verbo quidem fuerat laceſſitus, *Subdolè ac Nequiter* egiſſe in negotio formularis; hoc ſuum dictum probavit ex eo, quod Pater ille tres Amplissimos Prælatos, videlicet Grimbergensem, Diligemensem, ac Frigidi Montis ſæpius conveniſſet, ac decepiſſet ad extorquendam ab iis ejuſdem formularis ſubſcriptionem, interponendo authoritatem D. Ladderſous, quaſi & ipſe paratus eſſet formulari ſubſcribere: aſſeruitq; hæc ſe habere tum ex litteris ad ſe datis, tum immediatè ex ipſis Prælatis.

Inprimis falſum eſt, quod P. Gerardus Bolck ſæpius convenerit tres illos AMPLISSIMOS PRÆLATOS, ad extorquendam ab iis Formularis ſubſcriptionem: nam PRÆLATUM GRIMBERGENSEM nunquam fuit allocutus; PRÆLATO FRIGIDI MONTIS nunquam fuit locutus, ſaltem ex quo tempore cœpit moveri difficultas de formulario. Probatur ex utriuſque Prælati teſtimonio. AMPLISSIMUS GRIMBERGENSIS 19. Junii 1692. Bruxellis ita ſcripſit manu propriâ: *teſtamur R. P. Gerardum Bolck nunquam mihi fuiſſe locutum, multò minus voluiſſe aut conatum fuiſſe me inducere ad ſubſcribendum formulario.*

AMPLISSIMUS PRÆLATUS FRIGIDI MONTIS 23. Junii 1692 Bruxellis dedit hoc teſtimonium: *teſtamur R. P. Gerardum Bolck Societatis* JESU *nunquam mihi fuiſse locutum, ex quo tempore cæpit moveri difficultas de formulari, multò minus voluiſſe, aut conatum fuiſſe me inducere ad ſubſcribendum formulari.*

Et tamen D. Ladderſous publicè, conſtanter, ac ſæpius dixit, atque poſt horarum aliquot deliberationem in ſecundo congreſſu confidenter inculcavit, P. Gerardum Bolck ſæpius conveniſſe ambos illos Prælatos, ac decepiſſe in negotio formularis ad extorquendam ab iis ejuſdem ſubſcriptionem, idque ſe habere ex litteris ad ſe datis, ac immediatè ex ipſis Prælatis; quod ſplendidum eſſe mendacium convincitur ex ipſorum Prælatorum teſtimoniis jam adductis.

Dixerit

Dixerit fortaſsè quiſpiam, quandoquidem Ex. D. Libertus Hennebel S. T. Doctor Vir tantæ auctoritatis apud ſuos poſtquam audierat, quid matutino tempore dictum fuiſſet in Diſputatione publica à D. Ladderſous, diſertè aſseruerit cuidam Viro Eximio, D. Ladderſous ſecurè poſſe dicere id quod dixerat, ſeque id ipſum poſſe teſtari, non debet uſq; adeò videri mirandum D. Ladderſous poſt meridiem tam intrepidè ſæpius repetiiſſe, quod manè dixerat, deſignando etiam P. Gerardum Bolck, quem matutino tempore deſignare non fuerat auſus: cur enim timeat juvenis Philoſophiæ Profeſſor iteratò dicere quod ſecurè ipſum poſſe dicere pronuntiaverat Ex. S. Th. Doctor Libertus Hennebel?

Reſponſio eſt facilis: nam quantumvis ſit juvenis Profeſſor, ſciebat tamen ſe non habere immediatè ex ipſis Prælatis, quod ſe ex ipſis habere tam diſertè aſſeruerat; per conſequens ſciebat eſſe purum putum mendacium, eſſe meram calumniam, eſſe contumeliam: quare quantumvis Ex. Hennebel affirmaverit, ſecurè ipſum hoc poſſe dicere, non propterea dicebat ſecurè; ſentiebat indubiè reclamantem conſcientiam, id quod dixerat, eſſe mendacium, eſſe calumniam, quam abſtergere non poterat authoritas Hennebelliana, quantumvis eximia. Etenim ſi Ex. Hennebel aſſereret me ſecurè poſſe interficere innocentem, an propterea ſecurè interficerem?

Quid nunc de *Ampliſſimo Prælato Diligemenſi*; nonne hunc ſaltem aliquando convenit P. Gerardus Bolck? Imo convenit ſæpius, ac ſingulis fermè ſeptimanis, ut ipſe publicè confeſsus eſt in Diſputatione: quid tum? dixit *Ampliſſimo*

pliſſimo

pliſſimo Prælato; quod ipſe D. Ladderſous paratus ſit jurare in formulare, cum tamen paratus non ſit; an non hoc eſt nequiter ac ſubdolè agere, imò & mendaciter? falsus eſt Pater ſe hoc dixiſſe *Ampliſſimo Prælato*, ſed in hoc nec ſubdolè, nec nequiter, neque mendaciter, ſed fide egit optimâ, quia hoc habebat ex ore P. Emanuelis van Outers, cui D. Ladderſous dixerat ſe paratum eſſe jurare in formulare, ubi id ab ipſo exigeretur. Hoc ſibi à D. Ladderſous dictum eſse, ſeque Patri Bolck narraſſe teſtatur P. Emanuel van Outers SS. Scripturarum Profeſſor & in Scholis olim inferioribus Magiſter D. Ladderſous. Teſtimonium Patris hic ſubiicio.

Ego infraſcriptus profiteor ac teſtor id quod ſuprà recenſetur, cum ſermo de D. Ladderſous fortè incideret, Patri Bolck à me relatum eſſe, idque acceptum in familiaribus cum dicto D. colloquiis, relatum, inquam, non ad eum, ut patet Orthodoxo cuilibet, gravandum invidiâ, ſed exiſtimationi ejus, quæ mihi cara eſt, conſulendum.

Dabam Lovanii 6. Julii 1692.

EMMANUEL VAN OUTERS.

Societatis Jesu SS. Scripturarum Profeſſor.

Quis nam igitur *egerit ſubdolè ac nequiter* an P. van Outers, qui Vir ſincerus ac fide dignus ab omnibus habetur, an P. Bolck, qui tali teſti præſertim referenti rem minimè indecoram, ſed Catholico Theologo prorſus dignum credidit, an D. Ladderſous de tam ſplendidis jam mendaciis convictus, ſtatuat æquus arbiter.